



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

38. An adimplere in statu peccati mortalis sit saltem peccatum veniale? Ex
p. 6. tr. 6. & Misc. 1. res. 45.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

in 4. quest. 1.1. art. 3. & Medina Cod. de Confessione, quest. de penitentia in iuncta extra gratiam impleta; licet contrarium doceat Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 38. sect. 8. Henriquez lib. 5. cap. 20. num. 7. Coninch de Sacramentis disp. 10. dub. 1.1. asserentes penitentiam sacramentalem in statu peccati mortalis impleam remittere postea poenam temporalem ex opere operato, quando recedit fictio, id est, quando cessat status ille; sed hoc dici absque sufficienti fundamento putat Hurtado ubi supra; quia, si tribuere effectum ex opere operato recedente fictione conuenit Baptismo, & ferre etiam penitentia informi, ideo est, quia hac duo Sacramenta sunt media necessaria ad remissionem culpae, & poenae aeternae. Penitentia uero sacramentalis non est necessaria ad remissionem poenae temporalis restantis, quia haec potest pluribus aliis operibus haberi; ergo, &c. Verum hanc sententiam Suarez, & aliorum, quam sine fundamento dictam putauit Hurtado, probabilem esse docet Guilielmus Mercerus de Sacram. in supplement. part. 3. D. Tooma, quest. 15. dub. 3. quaritur 3. num. 3.

2. Notandum est tamen hic obiter pro praxi contra Richardum in 4. distinct. 17. art. 2. quest. 8. ad 4. D. Antonium part. 3. tit. 14. cap. 19. §. 19. & Syluestrum ver. Confessio 6. quest. 3. penitentem, qui oblitus est penitentiae sibi iniunctae, non teneri recedendo eadem peccata confiteri, ut aliam penitentiam pro iis recipiat; sed si sua culpa penitentiae non recordetur, sufficit hoc peccatum confiteri, & si forte oblitio accidisset statim post datam penitentiam, & crederet, Sacerdotem adhuc eius esse memorem, teneretur, si posset, ab eo petere quod intinxisset, praesertim quando penitentia est grauis. Ita Coninch de Sacramentis disp. 10. dub. 9. num. 86. Caietanus in summa ver. Confessio iteranda, §. ex satisfactione. Sotus in 4. distinct. 20. quest. 2. art. 2. ad 3. Hurtado distinct. 11. & alij.

3. Notandum secundum contra Paludanum in 4. distinct. 15. quest. 1. art. 2. & Maiorem quest. 2. dub. 1. in penitentiam sacramentalem imponi posse à Confessario opus praecipui. Ita Vasquez in 3. part. tom. 4. quest. 94. art. 1. dub. 6. Hurtado distinct. 8. Coninch dub. 8. Mercerus quest. 14. dub. 4. qui optime obseruat, si eo casu penitens omittat opus aliud debitum, iam eadem omissione peccabit dupliciter; si autem explicet, duplicem fructum reportabit, vnum ratione operis praecise considerati, & praecipuo: alterum ratione virtutis, quam opus trahit ex potestate clauium.

4. Nota tertio contra Vasquez in 3. part. tom. 4. quest. 1. art. 2. dub. 1. num. 9. Nugnum in addit. quest. 1.3. art. 2. distinct. 1. Coninch, disp. 10. dub. 8. quod Confessarius non tenetur imponere penitentiam obligantem, quia ex vna parte penitentia sub consilio tantum imposita est sufficienter sacramentalis, ut pote imposita virtute clauium, & ex altera parte penitentia sic imposita potest esse expeditiens penitenti ob ipsius fragilitatem; & ita docet Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 38. sect. 3. Tannerus tom. 4. disp. 6. quest. 8. num. 7. Nauarrus in manual. cap. 26. num. 24. Henriquez lib. 5. cap. 21. & alij; vnde notissime Mercerus de Sacrament. in supplement. part. 3. D. Tooma quest. 15. dub. 2. n. 5. dixit, penitentiam imponi posse per modum consilij, dicendo: Si hoc, vel illud feceris, seruiat tibi in satisfactionem.

5. Nota quarto contra eundem Vasquez, & Coninch locis citatis. Ledesman in 2. part. quartis, quest. 14. art. 4. & alios, quod penitens potest penitentiam in vindictam peccatorum implere per alterum, quando Confessarius id vult, siue id velit, quando illam imponit, siue postea, & ideo ex rationabili

causa potest Confessarius imponere penitentiam per alium implendam. Ratio est, quia ex vna parte vnus potest satisfacere pro alio pro poena temporali relicta post remissionem peccati, & ex altera parte obligatio implendi penitentiam oritur ex voluntate Confessarij; ergo quando Confessarius vult, id sufficit. Ita Suarez tom. 4. disp. 18. sect. 9. Reginaldus in praxi. tom. 1. lib. 7. cap. 7. quest. 2. Tannerus ubi supra numer. 11. Mercerus dub. 3. num. 4. & alij. Et tandem

6. Nota quinto contra Alexandrum 4. part. quest. 84. membr. 2. art. 1. & Almainum in 4. distinct. 15. que 1. posse Confessarium in penitentiam sacramentalem imponere opus internum. Ita Coninch ubi supra Hurtado dist. ult. 7. Suarez sect. 6. & Mercerus dub. 2. Quia sicut Confessarius potest absolueri ab internis peccatis, ita & ad actus internos ligare potest; & quamuis tales actus non sint per se sensibiles, tamen sunt sensibiles per accidens, cum exterius imponuntur, & acceptantur.

RESOL. XXXVIII.

An adimplere penitentiam in statu peccati mortalis, sit saltem peccatum veniale? Ex part. 6. tract. 6. & Misc. 1. Ref. 45.

§. 1. Affirmatiuam sententiam tenet Layman lib. 5. tract. 6. cap. 15. num. 15. vbi sic ait: Sequitur esse quandam irreuerentiam saltem venialem, si quis penitentiam impleat in statu peccati mortalis; quia Sacramenti aliquam partem suscipit indignè, & ponit obicem consequendi eius effectum, qui est remissio poenae. Ita ille, & ante illum Suarez tom. 4. disp. 38. sect. 8. num. 7.

2. Sed ad hanc opinionem tenendam Lugo de Sacrament. Penitent. disp. 25. sect. 3. num. 32. asserit non inuenire sufficiens fundamentum: nam dicta pars Sacramenti non est collatiua gratiae; ponere autem obicem effectui remissionis poenae, non arguit culpam venialem; alioquin etiam esset peccatum veniale audire Missam in statu peccati, aut adesse in peccato benedictioni Pontificis, quando conceduntur indulgentiae, quia ponitur obex simili effectui, quod tamen nemo concedit. Multo ergo minus debet hoc dici in nostro casu, in quo illud detrimentum postea resarcitur, cum sublato obice habeatur totus ille effectus, quod in auditione Missae & indulgentiis non contingit. Praxis etiam fidelium haec est: nam si alicui pro penitentia detur recitare singulis diebus Coronam, aut dicere orationem breuiem, quoties iurat, nemo dicit peccatum esse veniale non constitutur se in statu gratiae, quoties dicit Coronam, aut orationem illam breuiem. Ita Pater Lugo. Tamen, ut verum fatear, affirmatiua sententia est communis, teste Magno in addition. ad 3. part. quest. 14. art. 2. verb. nihilominus: & praeter Layman, & Suarez, tenet illam Henriquez lib. 5. cap. 18. numer. 3. & cap. 20. numer. 7. Filiucius tom. 1. tractat. 8. cap. 2. num. 57. Reginaldus in Praxi, tom. 1. lib. 7. num. 84. Bonacina de Sacramentis disp. 5. quest. 5. sect. 3. punct. 4. num. 15. & alij.

RESOL. XXXIX.

An qui non adimplet penitentiam in tempore à Confessario praescripto, peccet mortaliter? Et notatur, quod si in honorem alicuius Festi penitentiam imponat, v.g. Confessarius ieiunium, si per impotentiam à ieiunio illius diei penitens excusetur, non teneatur postea alio die ieiunare.

Sup hoc sup. in Ref. 14. §. vii. post medium, à vers. qui potest etiam, & in Ref. 33. ad medium, §. 1. vers. Hoc autem.

Praeter Ref. not. seq. pro prima diffie. huius tituli lege infra doctrinam Ref. 46. & omni Ref. eius primae annot. & signanter eius §. 1. & supra ex Ref. 32. Vide §. Veru.

Secus